DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS,
DE

PARALYSI,

QUAM,
FAVENTE DEO TER OPT. MAX.
Ex Auctoritate Magnifici D. Rectoris,
JOHANNIS MUNNICKS, M.D.
Reip. Ultrajectinæ Poliatri, atque in Inclyta ejusdem
Academia Medicinæ Anatomes & Botanices
Professoris Ordinarii,
NEC NON
Amplissimi Senatus Academici consensu, & Nobilissimæ
Facultatis MEDICÆ Decreto,
PRO GRADU DOCTORATUS,
Summisque in MEDICINA honoribus, & privilegiis,
ritè ac legitimè consequendis,
Publico Examini subjicit
ARNOLDUS BOOT BEIRMAN, Westfrisius.
A. D. 12 Martii, horis locoque solitis.



TRAJECTI ad RHENUM,

Ex Officinâ FRANCISCI HALMA, Academiæ
Typographi, cIↃ IↃC XCV.

Reverendo, Pietate & Doctrina conspicuo Viro,

D. MARCO BEIRMAN, Verbi Divini in Ecclesia, quæ Christo colligitur in Wognum, Præconi vigilantissimo, Oraculorum Divinorum Interpreti disertissimo, Parenti ad extremum vitæ halitum filiali amore diligendo, obsequendo.

Clarissimis Spectatissimisque Viris

D. JACOBO VALLAN, M. D. ejusdemque Facultatis in celeberrima hac Academia Medicinæ Praxeos & Institutionum Professori Ordinario, Practico famigeratissimo, felicissimo, de me & meis studiis meritissimo, Promotori venerando, nunquam non colendo, observando.

D. JOHANNI MUNNICKS, M. D. Reip. Ultrajectinæ Poliatro, atque in alma hac Academia Medicinæ, Anatomes & Botanices Professori Ordinario, ejusdemque h. t. Rectori Magnifico, Practico solertissimo, de studiis meis bene merito, æstimando, amplectendo.

D. M. GERARDO de VRIES.

D. M. JOHANNI LUYTS, Philosoph. Doctoribus, ejusdemque in hac Academia Professoribus Ordinariis, subtilissimis, de studiis meis Philosophicis optime meritis, adeoque à me æternùm honorandis, suspiciendis.

Hanc Disputationem Inauguralem in grati animi σημεῖον

D. D. D.

ARNOLDUS BOOT, *Auctor.*



L. B. S.



Elut hominum ſors, illi, quæ, omnium creaturarum, quas habet ſpatioſa mundi machina, eſt, quo ad corporis diſpoſitionem & formam (ut ſileam de horum anima rationali & immortali, qua præ illis præditi ſunt) immenſum quantum prævalet; quod ipſum non obſcure Naſo innuere videtur, his verbis:

Pronaque cum ſpectent animalia cætera terram,
Os homini ſublime dedit, cælumqne tueri
Juſſit, & erectos ad ſydera tollere vultus.

Sic tamen illorum conditionem, illâ, quæ Adæ nepotum eſt magis fortunatam exiſtere, eò quod perquam multis, imò multò pluribus calamitatum morborumque ſpeciebus premuntur quàm hæc, nullus unquam iverit inficias, quas omnes enumerare, nec juvat, nec licet, atque etiam iis recenſendis omnes arithmeticorum numeri vix ſufficerent. Verùm mentis oculis in paralyſin ejusque naturam conjectis, hanc in ſcenam proferre non piguit, quippe morbum ſpeculatione haudquaquam vacuum, & commodam Theſibus efformandis materiem, in qua obitèr, tam veterum, quam recentiorum circa nervos opinionem proponere, ut & quæſtionem, an, integrô ſenſu, motus aboleri poſſit, ventilare; nec non vocis etymologiam, definitionem, differentias, ſimilitudinem & diſſimilitudinem quam cum aliis morbis habet, ſymptomata, cauſas & quaſdam circa hæc meditationes, atque ſigna diagnoſtica & prognoſtica in medium proferre, & tandem curam generalem ſubnectere, animus eſt. Vale.

DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE
PARALYSI.



VErùm antequam ipſam rem aggrediar, non inconſultum fore exiſtimavi dicenda de nomine, in quantum in conſcribenda hac diſſertatiuncula ex uſu erunt, proponere, non verò in animum induxi in his nimius eſſe, ſed levi tantùm brachio percurrere, & nomenclaturæ fini (quem eſſe putem ut una res ab alia diſtingui & internoſci poſſit) ſatisfacere, atque inſuper hic fieri debet, ut inanes arceantur logomachiæ, quod ut fiat, paucis vocis etymologiam ſpectabo, cæteris miſſis, quæ forte de nomine dici poſſent, & vulgò ſub Logicorum conſiderationem veniunt, ut ſunt ejus varia ſynonymia & homonymia, quæ rerum naturas ſpeculantem parum tangunt, adeoque illorum potius quam noſtri exiſtunt fori. Derivatur itaque à Græca voce *παραλύω*, reſolvo, relaxo (reſolvi enim dicitur nervus cum tonum amiſit, quod hic fit) quod ex *παρὰ* & *λύω*, unde *παράλυσις*, Latinè Paralyſis, Belgicè *Beroertheyt*, *Lammigheyt*, dicitur.

§. II. Miſſâ vocis conſideratione, hujus affectus definitionem ſubjungam, de qua varii varia; ego vero cum Celſo, qui eam non incongruè nervi reſolutionem dicit, quia ejus eſt obſtructio, eandem retineo. Sed cum de nervis hic ſermo incidat, facere non poſſum, quin, tam veterum, quam recentiorum circa hos diſcrepantiam, animadvertam. Veteres ad Galenum uſque, nervum, vel tendinem muſculi, vel oſſis ligamentum, pronunciaverunt, quod ſufficienter probat Cl. Lindanus Medicinæ Phyſiologicæ cap. xvj. artic. xvij. Atque ea de cauſa veterum paralyſis fuit nimia flacciditas, humiditas & relaxatio nervoſarum partium modo memoratarum, atque hoc ipſum malum nautis qui Indorum rivos laudant frequens eſt, nec non interdum eos qui nidum ſervant miſerandum in modum corripit, atque hoc natales ſuos ſcorbuto debere creditur, illud vero apud Jacobum Bontium deſcriptum, & *Beri-*

beri nomine (ſic enim indigenis dicitur) indigitatum vide. Recentiores vero, quibuſcum hac in parte facio, per nervum intelligunt tubulum aut canalem ſpiritibus vehendis dicatum (præter tunicas & fibrillas ſuas ac forte vaſa ſanguinea) non ſecus ac venæ & arteriæ ſanguini recipiendo deſtinatæ ſunt.

§ III. Diſtinguitur paralyſis ratione majoris affectionis gradus in perfectam & imperfectam: perfecta dicitur cum motus & ſenſus pereunt, imperfecta cum motus perit, manente ſenſu, vel cum ſenſus perit manente motu; cujus tamen ſpeciei veritas non immerito ſuſpecta videtur, & quidem hâc de causâ, quia ad motum major, ad ſenſum verò minor requiritur ſpirituum animalium copia: Etenim ad ſenſum tantùm requiritur exterioris nervi tunicæ tubuloſæ & fibrillarum internarum à ſpiritibus animalibus debita tenſio, ut eo pacto ab objectis externis affectis, tum nervis ſenſorio communi imprimatur motus, quem hùc delatum mens percipit, unde ſenſus fieri ſolet; hæc ergo tenſio requirit modò æqualem neque vehementem ſpirituum animalium influxum: Ad motum autem abſolvendum, non motus æqualis & qui in æquilibrio ſervat nervos & muſculos, ſed motus impetuoſus & copioſus in nervi ſubſtantiam fibroſam & muſculorum fibras motrices influxus requiritur, quô factô fibræ nerveæ & muſculorum à ſpiritibus animalibus plùs juſtò inflantur, hinc diſtenduntur, hinc abbreviantur, & muſculi caput ad caudam accedere faciunt, unde tum oſſibus, vel aliis partibus alligatis muſculis implantati, ad ſeſe rapiunt: in quo ipſiſſima motus natura conſiſtit, adeoque ex dictis patet, quid de hac ſententia ſentiendum ſit, & ſi alibi verum ſit illud dictum, *quod poteſt majus, id etiam poteſt minus*, ſanè hic eſſe autumem. Verum hujus ſententiæ patroni (præeunte Galeno) cupientes vitare charybdim, in ſcyllam incidunt, dum ad duplicis generis nervos, ſenſorios, & motorios, confugiunt, quippe hi ſoli motui, illi ſoli ſenſui inſervirent, verum, cum nec ratione, nec anatomiæ demonſtratione fundata ſit, hanc, priore pluris non facio, nec non illam, quæ hos illis molliores dicit. Atqui, ſi aliquid de ſenſoriis & motoriis dicendum ſit, exiſtimem, non niſi tantum ratione principii vel partium quibus inſeruntur, diſcrepare, quod principium an ſit à ſpinali medulla, an à cerebro, & à qua parte cerebri, non eſt hujus loci latius perquirere, cum ad anatomen pertineat, &, iſta ergò ratione, ſi quis velit diſtinguere, ſenſorii dici poſſunt, qui in partes muſculis carentes implantantur, ut hepati, lieni, renibus &c. Motorii, qui in partes muſculoſas & motu evidenti gaudentes, inſeruntur. Altera diffe-

differentia a parte affecta desumitur, diciturque universalis vel particularis; universalis dicitur paraplegia, ubi omnes sub capite nervi resolvuntur, capite integro, hemiplegia ubi alterutrius lateris nervi resolvuntur, diciturque (venia sit voci) semiuniversalis. Tertia differentia est aliarum partium affectarum, ut linguæ, æsophagi, brachii, cruris &c. auditque particularis, quibus omnibus pro varia parte affecta, varia ab autoribus imponuntur nomina, ad quas L. B. remittimus. Quartò ratione causarum distinguitur in sanguineam, pituitosam, serosam, & in eam, quæ est a causa externa vel interna. Quintò denique in idiopaticam, affectô primariò cerebrô, non tantum quo ad ejus substantiam medullarem seu fibrosam sed & principia nervorum ipsos spiritus animales, & sympaticam per consensum, seu alios morbos sequens, ut apoplexiam, epilepsiam & s. Cujus causam, animo obversantem, exactiori mentis trutinâ librare, animus fert.

§. IV. Verum id ut fiat, epilepsiæ naturam, in quantum hujus explicationi inservire poterit, contemplari liceat: Hæc itaque causam debet spiritibus animalibus acido-volatilibus, unde vehemens in paroxysmo motus nasci solet, quem tunc excipit quorundam cerebri vasorum ingens dilatatio (per vasa cerebri intelligo præcipuè quidem substantiam medullarem ejusque fibrillas, poros, spirituumque conceptacula & vias, sed etiam principium spinalis medullæ, ut & ipsa vasa sanguinea) unde fieri vix potest, quin aliorum cerebri vasorum compressio sequatur, quâ factâ compressione, aliis dilatatis, multò adhuc impetuosius in hæc dilatata feruntur, quia tum magis iis ad hæc, quam ad illa datur aditus: cùm quia anima tunc in eos non facit determinationem, tùm quia natura humorum est (nedum spirituum) ut, ubi minus impedimentum inveniunt, eò velocius & liberius illùc moveantur. Atque hæc sic præmissa viam sternunt ad faciliorem cognitionem, qua ratiòne epilepsia hunc affectum nonnunquam post sese trahat, sc. cum quædam vasa sic dilatata existunt & motu illo vehementi sp. animales ea ingrediantur, facile (nostro arbitrio) particulæ quædam crassiores una cum sp. animalibus ingredi possunt, quô motu epilepticô nonnihil sufflaminatô, spiritus, utpote tenuiores, viâ consuetâ abeunt; particulæ vero crassiores, vasis a prædicta tensione remittentibus, figurâ cum eorum poris non quadrantes & in iis tum remanentes, ea obstruunt; vel cum porro ad nervos motæ sunt, eos itidem obstruunt, oriturque vasorum nervorumve obstructio, hinc resolutio.

§. V. Cæterum cur apoplexiam hæc eadem sæpissime sequatur calamitas,

mitas, clarum eſt, quia cum ſit ſubita & vehemens omnium vaſorum cerebi obſtructio, difficulter omnia ſic rurſus reſerari valent, ut ne quidem ulla remaneat, præſertim ſi ſit pituitoſa, ubi humores viſcidi ſunt, illi enim tardo gaudent motu, & firmiter ſibi invicem adhærent aliiſque partibus, atque hinc etiam non ſtante pede illinc deturbari poſſe, res ipſa loquitur.

§. VI. Similitudinem habet cum apoplexia magnam, nam, quod apoplexia in toto eſt, id eſt paralyſis in parte, in apoplexia enim omnia, in paralyſi quædam cerebri vaſa ſunt obſtructa, eſtque in utroque affectu ſublatus motus: in epilepſia & omnibus convulſionnm ſpeciebus auctus eſt motus, adeoque diſſimilitudinem cum paralyſi habent.

§. VII. Symptomata quibus ordinario ſtipatur hic morbus, ſunt pallor, frigus, atrophia, extenuatio, ut & motus & ſenſus abolitio, vel ſolius motus, manente ſenſu, adeo ut non modo actio animalis, ſed & naturalis lædatur, de quibus in ſeq. latius.

§. VIII. Cauſa paralyſeos proxima eſt impeditus ſpirituum animalium in nervos & ad partes movendas influxus.

§. IX. Cauſæ remotæ ſunt, quæcumque illam obſtructionem (quæ fit per obturationem, anguſtationem vel compreſſionem) cauſare poſſunt, eaque variis fit in locis, ceu in cerebro, ſeu in corporibus ſtriatis, aut alibi circa caudices medullares, aut alibi in nervi principio medio vel fine, ſc. in fibris nerveis aut membranaceis. Haſce ergo in internas & externas diſpeſcimus: interna potiſſimum agnoſcit colluviem ſeroſam, quæ modo has, modo illas particulas ſibi habet admixtas. Quandoque etiam ſanguis, ut in apoplexia, eſt cauſa, nonnunquam ipſorum ſp. animalium vitium, nim. indebitum eorum robur, ut minuta quantitas, depravata qualitas, ut & motus degener, nec non nervorum vitium. Ad cauſas externas refer ligaturas, tubercula, omnes continui ſolutiones, ut ſunt ulcera, vulnera, contuſiones, fractiones a vi externa &c. Animi corporiſque motus vehementiores, ut exercitia corporis diu protracta & graviora, ira indomita, terror ingens, uſus opii, vinorum tartareorum, Mercurius, frigus, luxatio vertebrarum & ſi quæ ſunt ſimilia. Quas res memoratas jamjam ſub incude revocare in animum induxi. Quod de torpedine vulgo narratur, mihi non valde perſpectum videtur, & ſi non de ejus exiſtentia, ſaltem de ejus viribus vehementer dubitem, quas tantas eſſe perhibent, ut piſcatoris manum anteà ſanam, mox paralyſi inficiat, ſc. emiſſione veneni ad hamum & ſic porro ad manum: ingentes profecto vires! quæ vel non habent quod cedant illis, ſalamandri, aut baſiliſci, ejuſve ovis.

§. X.

§. X. Ut autem post varias causas consideratas earundem paulo pleniori enodationi inhærere ratum feci, ab ea quæ a colluvie serosa est incepturus. Colluvies ergo hæc serosa, seu ex errore in rebus non naturalibus, seu ex alia quavis causa contracta, copiosa in corpore & vasis existens, sp. vitales suffocat & involvit, hinc motus, tam fermentativus, quam progressivus, minuuntur, hinc non tantum sanguinis glandulis subcutaneis, renibus aliisque seri colatoriis adfertur, neque etiam sufficienter illorum pori tenduntur & patuli a sp. animalibus servantur, adeoque minus serosæ materiæ secernitur & amandatur quam debebat, & plus accedit, quam decedit, sicque hujus major ac major in corpore fit redundantia, quâ vasa implentur & distenduntur, & accedente tum frigore externo, quo magis constipantur glandulæ subcutaneæ, malum incrudescit; quâ sic existente sanguinis diathesi, plurimorum morborum fomes existit & prout variè variæ solidæ partes afficiuntur, varius oritur morbus: Atque sic jam nunc existentibus vasis turgidis & continuo magis accrescens serum impetum facit in cerebri substantiam corticalem quæ nihil aliud est quam congeries minutissimarum glandularum (uti constat) in quibus sp sequestrantur, atque hinc ad tubulos & fibras medullares (quæ totidem sunt spirituum animalium conceptacula) demittitur, ubi vel manet, vel porro ad nervos descendit, sicque nervis aut tubulis impacta, partim poros mutat, partim spiritus animales, corpuscula, immensâ volatilitate prædita, motu sistit, hinc major ac major fieri solet obstructio, pororumque mutatio, quô accidit ut nervi tum ἄτονοι & flaccidi concidant resolvanturque, & pro ut jam humor ille obstruens has vel illas particulas, ut terrestres, fixas, tenues, crassas, sibi junctas habet, symptomata variant, quorum omnium diversitatem ad amussim considerare, operis immensi, &, cum brevitati studeam, ab instituto alienum foret, nim: quomodo, cum hæ particulæ admixtæ sunt, varient, & quô pactô rursus aliæ operentur. Sufficiat vero in genere hâc occasione hæc prælibâsse.

§. XI. Quando sanguis est in causa dicitur sanguinea paralysis, cum enim sanguis valde fermentatur & copiosus in vasis est, nullô negotiô aliquod vasculum sic premi & angustari potest, ut obstruatur & nihil amplius admittere queat, non alia ratione, ac fit in apoplexia sanguinea, & hoc pacto omnis sp. animalium aditus ad nervos intercluditur. Estque hic casus non adeo frequens, quam ille qui a colluvie serosa est, & vix in alios, quam plethoricos cadit.

§. XII. Quöd sp. vitium spectat, dicendum existimem, ad de-

bitum motum perficiendum requiri debitam ſpirituum quantitatem & robur. Per robur intellige non modo debitam quantitatem ſed & convenientem qualitatem (non enim debent eſſe nimis craſſi, ponitici, auſteri, vel aliis humoribus permixti, ſed debent debitam habere volatilitatem ut & motum) ſi enim ſp. animalium quantitas minuta ſit glandulæ, in cerebro non ſatis ſervantur patulæ, quia materia (puta ſp:) in iis ſequeſtranda deficit, atque hinc facile aliquæ earum concidere poſſunt, unde Paralyſis naſcitur, & pro ut hæ vel illæ ſic concidunt, variarum partium inducitur; ſi vero eorum qualitas ſit depravata, ut cum ſunt nimis craſſi, pontici &c., tum perfluentes ſtrictiſſimos nervorum poros, facile alicubi quidam eorum hærent, quia cum nervorum poris figurâ non conveniunt, qui ſtagnantes obſtructionem, adeoque reſolutionem cauſant. Requiritur quoque debitus eorum motus, Spiritus enim nimis volatiles nimium motum inferunt, & tum vaſa varia comprimuntur & dilatantur de quo §. IV. vel ſi minore gaudeant motu, ſegnes ſunt, & minus mobiles nimiſque ſanguini implicati manent, neque ſatis extricantur, & ſic deficiente materiâ in glandulis cerebri ſequeſtranda, illæ concidunt, ut modo innui. Poſſuntque ſic cæteri humores in corpore exiſtentes depravari, & tam longe ab eſſe naturali recedere, ut vim narcoticam, vitriolicam, ſalinam, acidam, aliamve ſimilem induant: & quid multis? talem, quæcunque ſp. animalibus infeſta eſt, id eſt, quæ ſuffocat, diſſipat, minus movet, figit, eorumque motum varie alterat & depravat, & ſic dicto modo paralyſin efficit.

§. XIII. Cauſis itaque internis, earumque fiendi modô ſic obiter notatis, ad externas delabimur & primo quidem ad ligaturas, quæ ſi ſtricte nimis cuidam membro injiciantur, conceptu non ardivum videtur ejus cauſam expiſari: nervi namque ſi comprimantur & anguſtentur, valde, ut hic fit, pori clauduntur conſtringuntur, & mutantur, adeo ut ſpiritibus animalibus motus liber denegetur. Huc etiam refer, quod ſpiritus animales compreſſum nervum ob dictum obſtaculum non pervadentes ad alias glandulas feruntur, hinc hæ, nervo obſtructo correſpondentes concidunt, & ſic porro perficitur. Atque par tumorum durorum & ſcirrhoſorum tuberculorumque ratio.

§ XIV, Non etiam mirabile exiſtit, quomodo ſolutio continui hujus affectus parens exiſtere poſſit, ut abſciſſio nervi tranſverſa, cum enim per affluentes ſpiritus animales moventur muſculi, utique non poſſunt jam moveri ab iis quia eo deferri nequeunt, huc refer omnia vulnera, ulcera, contuſiones, fractiones a vi externa, luxationem vertebrarum

atque hinc in prognosi patebit quam difficilis, si non impossibilis, sint curæ, quia non facile consolidantur nervi, vel si consolidentur fieri vix potest quin pori mutentur, iisque mutatis, spiritibus animalibus via præcluditur.

§. XV. Quod ad animi motus vehementiores attinet, ut sunt ira & terror vehementes, dicendum maxime accelerare sanguinis & spirituum motum, atque hinc sequitur id quod § x. docui. Quod opii usum & vinorum tartareorum spectat, id spirituum imminutam quantitatem, vel depravatam qualitatem respicit. Mercurius insinuando se in subtilissimos nervorum poros, eorum poros mutat & obstruit; frigus sanguinem reddit crassum inertem & compactum, & sic in eo non debite exaltantur sp., adeoque nec sufficientes segregantur, & sic ad spirituum minutam quantitatem refer, partim quia sic constringuntur vasa sanguinea & pori nervorum, ut ibi humores condensentur & illic locum occupent.

§. XVI. Cæterum ut symptomatum in antecessum memoratorum explicationi incumbam, a frigore exordior, quæ an privatio sit an ens verum ac positivum, æque ac calor, non cum phylosophis (præsens namque hæc rerum facies prolixitatem vetat, neque etiam hujus est loci) contendam; contentus, si meis dictis veritatem adstruxero. Frigus itaque in corpore nostro nulli alii ortum debet quam motus tam intestini quam progressivi defectui vel absentiæ, unde sequitur & caloris, calor namque motus consequens esse creditur, atque omnem calorem sanguini & humoribus debite motis debemus. Verum roganti quomodo humorum motus calorem producere valeat, dictum sit: quod, considerato sanguine, ejusque partibus, seu potius particulis integrantibus, quæ sunt salinæ, spirituosæ, insipidæ, terrestres, oleosæ & ut Magni Hyppocratis verba, mea faciam, sexcenta alia, quas omnes indefinitasque particulas varia constare figura certo certius est atque hinc necessario infertur aliqua remanere interstitia (figuræ enim quandrangulares cum sexangularibus, triangularibus &c. non sic uniri queunt, ut nullum interstitium remaneat) quo concesso daretur vacuum ni aliquid esset, quod ea impleret, atque id ipsum est materia ætherea, aliis particulæ igneæ dicta: sed cum in re sit consensus, de voce dissensus absit. Si ergo motis in corpore solitus fiat, nec vehemens accedat, materia illa ætherea, quæ perpetuo in motu est nec ullibi includitur, rursum egreditur, quo manente solitario motu, perticulas illas sic disponit ut poros idoneos sibi formet, quò liberius transfluere possit, & sic minus diu in sanguine remanet, atque quo magis id fit eo magis nasci solet frigus, & minor

fit

fit fermentatio, cujus maxima etiam illa causa est. Verum si sanguinis motus acceleretur, pori illi, seu interstitia mutantur, quibus mutatis materia illa ætherea eos perfluere nequit, & cum hæc nullibi includatur, ut modò dictum, poros sibi format, & sic diutiùs in sanguine remanet, sicque particulas sanguinis, ante unitas quadantenus & magis inter sese quadrantes, & propius ad invicem accedentes, mutat, à sese disjungit latius, & interstitia majora reddit, quô factô, majore etiam copiâ ad sanguinem fertur: Atque hinc calor.

§. XVII. Atque his ita præliminatis, facilè liquet, cur frigus in parte affecta sit, scilicet, quia motus progressivus in ea parte multùm cessat, unde & motus ibidem sanguinis fermentativus multùm cessat: motus progressivus, quia pori & tubuli, per quos sanguini transeundum est, concidunt, quia à spiritibus patuli non servantur, motus fermentativus, ob rationes § superiore dictas. Pallor etiam huc referri potest, nempe quia sanguis minora illa vascula & tubulos musculorum non intrat, ob spirituum influxus defectum, atque hinc non tingitur cutis à transparente sanguine, & tum color cuti naturalis, nim: albicans apparet: eâdem etiam de causâ, atrophia & extenuatio fiunt, quia succo nutritio non patent vascula, unde poris adhærere nequit.

§. XVIII. Visis explicatisque symptomatis, quæ sunt hic signa diagnostica, ad prognosin accedo, in qua ad duplicem corporis œconomiam attendi debet, videlicet ad animalem & naturalem, & pro varia earum læsione periculum æstimandum venit, etiam ratione causarum, causa enim externa, internâ, sanguinea, serosâ vel pituitosâ facilius curatur. Illa quæ a tuberculis & ligaturis fit, facilius curam admittit: quæ a solutionibus continui contingit, planè difficilioris, si non impossibilis existit curæ: quæ à transversa nervi est sectione pro immedicabili habetur: illi quæ à luxatione vertebrarum est medela fieri nequit: illa omnis quæ à spiritibus suffocatis aut minutis âut alio modo vitiatis accidit, nihil boni portendit, E. G. ab opio, vinis tartareis &c. Quod ad animi & corporis motus vehementiores, non determinaverimus, sed ratione labis inductæ periculum variat. Etiam omnes hæ causæ (paucis exceptis) variant ratione temperamenti, ætatis, durationis, temporis & s. adjunctorum.

§. XIX. Ne tamen natura vacillans huic oneri ferendo impar, succumbat penitùs, illi manus auxiliares, quantum dabitur, præbeamus. Quod ut fiat videamus quid indicetur. Indícatur liber spirituum animalium in nervos influxus. Ut autem id fiat ad causam, an externa an

interna ſit, ſanguinea an pituitoſa, an vero ſeroſa & ad humorum conditionem attendatur, oportet.

§ XX. In hac ergo ſpecie, quæ ſanguinem parentem agnovit, ordinariò curam inchöat clyſter acris, quæ revulſionis gratia injiciatur. Verum dicat quiſquam quomodo videtur hoc medicamentum illud præſtare poſſe? ſed mirari deſinet, ſi ejus operationis ritè ſit perſuaſus. Injecti ergo clyſmatis particulæ acres variè ſtimulant & vellicant inteſtinorum tunicas & nervos tam ſenſui quam motui periſtaltico dicatos, unde major fit verſus eos affluxus, & patulæ redduntur quo melius in iis lympha inteſtinalis ſecerni queat, nec non particulæ quædam craſſiores circa has vel in his exiſtentes & idoneam vel ſaltem majorem excretionem prohibentes dividuntur ab invicem, & hinc impedimenta, congruam ſeceſſionem vetantia, removentur; quibus ita conſideratis, patet fieri revulſionem, id eſt, majorem humorum huc affluxum, quia minus impedimenti hic inveniunt, & hinc fit quod non tam multum ſanguinis adfertur cerebro, hinc vaſcula hæc turgida deplentur paululum, quare alia ante compreſſa nimis comprimuntur, daturque anſa melioris aditus ad glandulas parti affectæ reſpondentes.

§. XXI. Hanc rectè excipit V. S. in eundem finem inſtituta, quâ quædam vaſa cerebri, ſanguine copia & impetu peccante diſtenta, & alia comprimentia, depleantur, & ſanguis a parte affecta revellatur, quod fit partim quia jam ſic quodammodo in depletorum vaſorum, ſc. arteriarum, fibras motrices (quæ ante erant compreſſa & anguſtata) ſpiritus animales liberius influunt, ſicque eas conſtringunt, & ſanguinem movent & ad glandulas fluere ſinunt, partim quia magis ad ſectam partem affluit & ſic minor copia adfertur ut dixi §. ſuperiore.

§. XXII. Ne tamen aliqua remaneat menda, porro medicamentis convenientibus tentetur cura, qualia ſunt aromatica, ſpirituoſa, volatilia, in ſeq. nominanda, ut & ipſa cardiaca ſecundi generis, pertinacia alias dicta, quippe quæ ſpiritus augent, non quidem eorum materiam, ſed eos eliciunt & bonam ſecretionem excitant & diaphoreſin cient: hæc enim pertinacia primo impetu ſiſtunt fermentationem, ob duras, graves nec adeo flexiles particulas & mobiles, poſtea vero cum ſanguini intime mixta ſunt, fermentationem augent, quia poros ſanguinis mutant, adeo ut materia ætherea influens in ſanguinem, eumque continuo, ut & omnia corpora pervadens & velociſſime mota, poros ſibi non inveniens, alios ſibi formet, atque huic ob rationes §. XVI. dictas, augetur fermentatio: qua ſic auctâ fermentatione & motu particulæ craſſiores aliæque

noxiæ,

noxiæ, illa in ſeſe attritione dividuntur & ad habitum corporis aliaque excetoria delatæ ablegantur, & particulæ ſpirituoſæ aliis involutæ extricantur & in tali ponuntur ſtatu, ut commode in cerebro ſecerni poſſint, cui accedit hoc, quod motus ſanguinis progreſſivus acceleratur. Quod ad volatilia, illa etiam motum ſanguinis fermentativum & progreſſivum augent & diaphoreſin excitant, pertinacibus mixta, & bonam ſanguinis diatheſin reddunt, qua tandem evadente bona, motus partis magis ac magis redit.

§. XXIII. Cætera res non naturales ſuppeditabunt, & monendum hoc de diæta ipſam debere conſtare ex cibis, euchymis & eupeptis bonum ſanguinem ſatisque ſpirituum ſuppeditantibus.

§. XXIV. Verum & alium caſum quæ a colluvie ſeroſa eſt, luſtrare propoſui; quæ etiam multum variat ratione ſeroſæ materiæ, tenuioris vel craſſioris, vel variarum particularum admixtarum, quod unicuique hunc curaturo recte perpendendum venit, ut & an ſit a cauſa externa vel interna: ſed licet in ſanguinea V. S. apprime neceſſarium ſtatui, attamen hoc in caſu eam plane noxiam (licet non deſint, qui contrarium & contendant) aſſero, ratio eſt, quia hac major ſanguini & ſpiritibus poteſt conciliari motus ad partem affectam velut in alio caſu, quia magna ſic eſt ſpirituum animalium penuria, qui ſunt ſanguinis motores, idque non ſolum in nervis ſed & in toto ſanguine, & materiæ ſeroſæ in corpore abundantia, ut §. X. dixi, quæ ſe in tubulos vel ulterius in nervos demiſit, atque hinc liquido conſtat ſanguinis magna ex parte ſpiritibus orbati, motum V. S. hac accelerari non poſſe, aut majoris motus occaſionem dari, ſed quidem præberi anſa majoris obſtructionis, quia pars ſanguinis tenuior emittitur, & plures tantum ſpiritus diſperduntur, & hinc cruditates, quæ omnium primo hic ſunt debellandæ, augentur.

§. XXV. Poſthabitâ ergo V. S. videndum quid hic valeant medicamenta idem præſtantia. Hæc medicamenta (de clyſteribus loquor) ad humoris obſtruentis revulſionem, excitationem vel diſſipationem raro aliquid conferunt, quia ordinario nimis fixus eſt, adeoque his, ut medicinæ fiat locus & cruditates exulent, potius purgantia ſtricte dicta per os exhibita, ſubſtituemus, & quidem hydragoga & phlegmagoga fortiora junctis ſpirituoſis plurimo ſale volatili fætis, ut ſpirituum damnum iis aliquo modo reſarciatur & materia peccans præparetur. Pro purg. hic loci inſervire poſſunt extr: cathol: trorch: alhand: galapp: ſcamm: rhæum diathurbith: tant: vitriot: pilulæ cochiæ, de chamæpitide, fætidæ.

dæ. Hier: pic: merc: dulcis (cujus tamen usum cane pejus & angue vitet Medicus in iis qui ejus tractatione paralytici facti sunt) & s. Quorum hæc aut illa pro varietate humoris paralytici & patientis constitutione, pro Medici prudentis arbitrio, in subsidium vocari possunt, variæque pro re nata elegantes concinnari formulæ, quibus ego non inhærebo in Generali hac dissertatiuncula, cum ratione circumstantiarum variari necessario debeant. Spirituosa & volatilia, de quibus mentio facta fuit, purgantibus addendas sint ol: rorismarini, sassap: rutæ, lavend: succini, castor: ejusque tinctura & s. Quæ etiam variis in casibus variis purgantibus addi possunt. Si saburra pituitosa sit in ventriculo, vomitorium infusione croci, metallorum & s. confert.

§. XXVI. Evacuatô hoc modo corpore, recte confugimus ad ea quæ materiæ obstruentis discussionem promovent, & spiritibus ac cerebro robur addunt; quid per robur intelligatur vide § XII. Quæ illud prestant sicut salia volat: & aromatica, quæ simul diaphoresin excitant (maxima namque salutis spes in sudoribus movendis consistit) cui fini recte inserviunt quædam mixturæ apozematibus gratiores, quia morbus chronicus est & longæ ordinario durationis, quocirca patientes ordinario medicamentorum usum, præsertim ingratorum fastidiunt, atque sic omnem curæ animum abjiciunt, adeoque ut tristitia & desperatio, huic morbo summe infestæ, quia sic spiritus suffocantur, omnes Medico nervi intendendi sunt, ut gratiora seligat medicamina, quæ morbo profligando simul idonea existant, ut eô pactô animus, quô ad ejus fieri potest, ad spem lætitiamque, huic affectui non parùm faventes, quia ita sp. sopiti exaltantur & exagitantur, disponatur. Primas inter has tenent aq. cæphalicæ, cardiacæ antiparalyticæ, antapoplacticæ, reginæ Hungariæ & s. Tinctura castorei, croci, elixir prop. sine acido, sp: salis armoniaci, fulig: urinæ, additis pertinacibus, ut bezoard: miner: antun: diaph: & s. ut & oleorum superiore § memoratorum aliquot gtt. Omni quoque hic laude digna sunt lavendula, ut & ejus aq: mentha ut & ol: ejus aq: melissæ nec non ejus oleum & aqua, chamepit: tanacetum ut & ejus aq: seu sp: qui penetrantissimus est. Hoc in casu optima quoque sunt apozemata, decoct: vulgò ex ligninis, dummodo eorum usus patientibus persuaderi possit, ut ligno guajaco, panacea, sassafr: sarsaparylla, additis herbis prædictis, ut rore marino, qui hic specificum audit &c. quibus pro re nata in colat: addi possunt, aq: memoratæ & olea & volatilia modo dicta, ut sp: tanaceti, aq: cerasorum nigrorum &c. ex quibus salutares formulæ fieri possunt. Interdum, si indicationes

postulent

postulent purgantia, similium decoctorum colaturæ addi possunt & præsertim pulpæ colochyntidis.

§ XXVII. Hisce sudoriferis quandoque interponatur purgatio, ut materia cruda hoc modo præparata ex corpore evanescat; ne tamen modum excedat, atque hoc in casu optime dantur pill: de chamep: cujus descriptionem alibi vide, nam

Dulcius ex ipso fonte bibuntur aquæ.

Harum pilularum sumat vesperi patiens post levem cænam ℈ j. quod pro indicatis duos vel tres dies continuos fieri potest.

§. XXVIII. Conducunt insuper linimenta, quibus nucha, nares & tempora illinantur, ut & sternutatoria ex sem: nigellæ, pipere albo, elleboro albo, majorana succo betæ, pulegii nicotiano &c.

§. XXIX. Verum quia hunc morbum difficilis curæ pronunciavimus, præter interna etiam externis cura tentetur, ut sic agant vi unitâ, quæ fortior est. In quorum applicatione cautela est adhibenda, nim: ut attendatur, priusquam applicentur, ubi locorum latitet obstructio, an in spina, an in nervi principio, medio, an fine, an in ipsius musculi initio an fine, ut tunc ibi apponi possint topica. Inter hæc laudantur fotus, inunctiones, emplastra, frictiones pannis asperis & calidis immersis 🜄R, vel 🜄 camphorato, frictiones manu calida si a frigore sit, sæpe multum præstant. Caveatur ab oleosis & pinguibus, quæ poros obstruere valent, verum sint penetrantia, ut aq: ex dictis herbis destillatæ, sal volat. ingentes quoque vires secreti aluminis Felicis Wurstii, ejusque lixivium: egregium quoque est unguentum nervinum, paralyticum Mynsichti & galbanetum Hortmanni, conducit & ol: philosoph: Inter adipes, optimum est humanum & ejus oleum, cui addi potest cranium humanum calcinatum, emollientia si adhibenda sint, valdè sint pauca. Non infimæ laudis quoque sunt balnea, thermæ naturales seu artificiales ex herbis dictis, utpote penetrantissimis.

§. XXX. Ast priusquam vela contraham, dicendum aliquid de diæta restat, cùm permagni ejus intersit; si enim non rectè ea instituatur, patiens sæpè causâ cadit, atque semet ipsum & Medicum frustratur, neque adeò ut nec hic, nec ille, optatum finem (puta sanitatem) videat, nec mirum, ex inconveniente namque diæta non congruus potest fieri chylus, atque hinc nec sanguis, nec spiritus sinceri generari, quod tamen intendit Medicus, & quantum medicamentis vincitur, tantum, (quid ni dicam plus?) hoc errore perditur, atque sic curæ remora fit, quæ, si ullibi noxia sit, saltem hic est, &, ne malum per longas invalescat moras,

est arcenda. Instituatur ergò diæta tenuis & siccans, id est, tenuium partium & non multùm viscosarum, quæ facilis sunt digestionis, & boni succi, aromaticis, vel aromatibus conditis, ut sunt juscula carnium annosarum, quævis spirituosa & aromatica, additis aromatibus mace, nuce mosch: pipere integro, vel ovis sorbilibus, carnibus assatis, salviâ, & roremarinô transfixis, brodiis ex V. Rhenano & aq. p. æq. additis caryoph: cinnam: croc: mace, nuce mosch: ovo conquassatò, &c.

§. XXXI. Potum quod spectat, vino assuetis nequaquam id est denegandum, pro potu ordinario valdè decantatur ros marinus, qui s. a. decoctus, in aq. communi bibitur, laudatur insuper cerevisia medicata ex betonica, melissa, mentha, sarsaparylla, guajaco. Sed manum de tabula.

COROLLARIA.

I.

V. S. in variolis planè noxiam censemus, nisi, datô peculiari casu, qui eam indicet.

II.

Fluxum sanguinis menstrui tantum accidentalem.

III.

Adeoque eum non qualitate vitiosa, sed quantitate peccare. aff.

IV.

Febris causam, non acidum in pancreate secretum.

V,

Sed particulas sanguinis integrantes, quæ secessionem fecerunt, qualescunque demum sint. Aff.

VI.

Quapropter non danda esse in paroxysmo vel circa eum medicamenta vehementia, quæ secessionem illam, nimiam faciunt & nimiam sanguinis dissolutionem inferunt, ut vomit. purg. &c. nec etiam talia, quæ omnem fermentationem sistunt & noxiarum expulsionem prohibent, sed talia, quæ leniter secessionem promovent, & noxias illas particulas expellunt, ut sudorifera leniora. Aff.